

## Band II., Nr. 362, Seite 115

*Bischof Gebhard von Würzburg beurkundet und bestätigt die von Wolfram von Bebenburg geschehene Stiftung des Klosters Neusaß.*

Ohne Ortsangabe, 1157.

(Chr.) In nomine sancte et individue trinitatis. Gebhardus, dei gratia Wirceburgensium episcopus, omnibus Christiane professionis hominibus salutem et gaudia eterne retributionis consequi in celestibus. Quoniam nostrum est monasteriis et domibus religiosis animadversione debite sollicitudinis providere, idcirco nobis incumbit pauperum Christi negotia, tam in privilegiis faciendis et confirmandis quam in ceteris que ad utilitatem eorum spectant, modis omnibus promovere. Omnibus itaque tam presentis quam future etatis hominibus scriptis presentibus transmittimus, qualiter quidam nobilis homo, Wolframmus de Beuenburch videlicet, cenobium monachorum de Cisterciensium ordine fundavit, et in ipso cenobio se ad serviendum deo obtulit et reddidit. Prefatum vero monasterium, quod Nvesaze dicitur, cum omnibus pertinentiis, quantum ad ius fundi spectat, ecclesie sancti Kyliani contradidit. Has autem curtes: Hallesberch, Bracheberch, Stene, prefatus Wolframmus cenobio predicto cum omnibus appendiciis, agris, silvis, pratis, aquis aquarumque decursibus, cum liberis suis, legitimis heredibus videlicet, potestative et sine omni contradictione tradidit ac delegavit. Ut igitur hec traditio, favore religionis et intuitu divine remunerationis facta, in omne evum stabilis et inconvulsa permaneat, rem gestam privilegio presentis scripti confirmavimus, et ei auctoritatem inpressione sigilli nostri dedimus. Unde si quis in posterum tam rationabile factum infringere vel infirmare presumpserit, nisi celeriter resipiscat, bannum beati Petri et nostrum, et sententiam eterne dampnationis se incurrisse cognoscat. Huius rei testes sunt hi: Fridericus de Bilrit. Walterus de Sulce. Walterus. Tidericus calvus. Einwich de Blauelden. Walcun de Widenstat. Bernhardvs. Nivelvngus. Sigebodo. (*Siegel.*)  
 Acta dominice incarnationis anno millesimo C. quinquagesimo VII.<sup>mo</sup><sup>1</sup>, indictio-  
 ne sexta, regnante Romanorum imperatore Friderico, sexto anno regni eius, tercio imperii sui, Bertoldo existente urbano comite.

---

<sup>1</sup>Die Urkunde fällt an das Ende des Jahres 1157, wo die sechste Indiktion schon begonnen hat.

## II

Der Textabdruck folgt dem Original.<br> <br> Das aufgedruckte Wachssiegel zeigt den Bischof auf einem Stuhle sitzend und die Umschrift: GEBHARDus DeI GRatiA WIRCEBURGENSIS EPiscopus. Hinten auf der Urkunde mit älterer Hand: *De Grangiis*; etwas neuer darunter: *donatio wolframmi de bebenburc*.

## Überlieferung und Publikationen

**Lagerort:**

StA Ludwigsburg

**Signatur/Titel des Originals:**

B 503 I U 1

## Weitere Angaben

**Sprache:**

Lateinisch

**Ausstellungsort:**

Ohne Ortsangabe

**Ortsindex:**

Bemberg : Rot am See SHA<br> Bemberg Wohnplatz (3196)<br> Bielriet Wüstung (22214)<br> Bielriet, Schwäbisch Hall, SHA, W<br> Blaufelden Wohnplatz (2712)<br> Blaufelden, SHA<br> Brechelberg Wüstung (22023)<br> Brechelberg, Schöntal, KÜN, W<br> Halsberg Wohnplatz (2648)<br> Halsberg, Schöntal, KÜN<br> Neusaß Wohnplatz (2655)<br> Neusaß, Schöntal, KÜN<br> Oberwittstadt Wohnplatz (6214)<br> Oberwittstadt, Ravenstein, MOS<br> Stein Wüstung (25639)<br> Stein, Schöntal, KÜN, W<br> Sulz Wüstung (25694)<br> Sulz, Kirchberg an der Jagst, SHA, W<br> Würzburg, WÜ